





9
/

PROGRAMMA

DE

CONSTITUTIONIS
CRIMINALIS CAROLINAE
EDITIONE AVTHENTICA

QVO

PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI
I O. IVST. SCHERBII

MOENO - FRANCOFVRTENSIS

DISPVATIONEM INAVGVRALEM

DE

VERISIMILITVDINE CRIMINIS

D. XXVIII. SEPT. MDCCCXXXV.

INSTITVENDAM

INDICIT

CAROL. FRIDER. WALCHIVS, D.

ORDINIS IVRISCONSVLTORVM SENIOR AC H. T. DECANVS,

I E N A E,

LITTERIS STRAVSSIANIS.



PROBANDI
ORIN NALIS CARONIAE
2. EDITIONE AUSTRIACA
I. O. LYST SCHERER
VERISIMILITÄT CHINIS
INSTITUTUM
CAROL. FRIDER. WALCHERS
ORDINE IUSTICIAE

I. N. A. E.
LITTEBIS-STRASLANIS





INVESTIGARE studuerunt nostra potissimum aetate litteratissimi viri ac de iurisprudentia criminali optime meriti, quanam sit prima editio constitutionis criminalis CAROLINAE hocque nomine diuersas in partes distracti sunt. Quum IO. PAVLL. KRESSIVS *a*) illam, quae apud Iuonem Schoeffer mense Februario ann. c1910XXXIII. lucem adspiceret publicam, primam esse adfereret ac probe animaduerneret, *illam ex sententia philologorum iuridicorum pro lege authentica et pro fonte habendam esse reliquarum editionum*: eandem in sententiam discessit perillustris IO. CHRISTOPH. KOCHIVS *b*) hancque ob causam eam dignam quoque censuit, quam singulari diligentia recudendam curaret. Ab illis declinauit IO. SAM. FRID. BOEHMERVS *c*) atque aliam potius editionem, quae sine anni mentione comparuit eiusus in manus fuit, antiquissimam esse censuit; praeterito autem anno V. C. IVL. FRID. MALBLANC *d*) vel minimum declarauit, haud futilia ac leuia argumenta esse, quibus BOEHMERVS sententiam suam, summa tamen cum modestia, corroborauit. Eius apud me haud sunt ponderis, vt eandem in opinionem me adducant et licet alioquin summi huius viri, BOEHMERI, magna in ius criminale merita omnino reuerear ac colam; non possum tamen; quin hac in re supra laudatis viris suffragar ac Moguntinam potius editionem, ann. XXXIII. iuris publici factam, primam eamque authenticam esse existimem.

PROVOCO ante omnia cum KOCHIO ad priuilegium, ei praemissum. Concedebatur illud Iuoni Schoeffero non solum ob hanc legem; sed quo-

A 2

a) praef. comm. in consitut. criminal. Caroli V. praemissa §. 1.

b) praef. der Hals oder peinlichen Gerichtsordn. Kayf. Carls V. praemissa, §. 5. p. 20.

c) praef. meditat. ad const. crim. Carolinam p. xi.

d) in der Geschichte der peinl. Gerichtsordn. K. Carls V. cap. VII. §. 42.

que ob ipsum recessum Ratisbonensem aequae ac ordinationem Cameralem hancque ob rem idem Iuo, quod perill. Kochivs non animaduertit, ipsi recessui praeponendum curabat e). Neque minus verba haec: *es soll auch keynem andern getruckten Abschiedt an eynlichem ort inn oder ausserhalb gerichtts oder rechts geglaubt werden* magis ad recessum; quam nostram ad legem sese referre videntur; Iuo tamen, quum idem hoc priuilegium memorata in editione de nouo promulgauit, haud obscure significare mihi videtur, illam esse eandem, cuius promulgatio esset a Caesare ipsi imperata.

Quum deinde comitia imperii, quibus constitutio criminalis profusus est adprobata, mense Iulio ann. xxxii. sunt habita et nostra editio statim initio anni sequentis adparuit: ea tam diu pro prima et authentica est censenda; quam diu non plene sit probatum, aliam ante eam esse iuris publici factam. BOEHMERVS id de sua non praestitit. Argumentum, quod trahere videtur ex colore litterarum aequae ac praestantia quarundam lectionum, quibus errores typographici sunt emendati, refutationem haud meretur et coniectura solum est, in ista editione annum, quo prodit, ideo haud indicari, quod fuerit editioni recessus adiecta ideoque eandem iam lucem adspexisse anno xxxii. Decreuerant ordines in ipso recessu, eam speciatim typis mandare f): *demnach haben wir auch Churfürsten, Fürsten und Stende nach ferrer berathschlagung vnd bewegung der sachen gott dem almechtigen zu eir vnd lob auch zu fürderung gemeynes nutztes für gut vnd nutz angesehen, das gedacht halßgerichtordnung inn druck geben vnd inn das Reich publicirt vnd verkündt werde.* Memoratu porro dignum est, imperatorem in priuilegio, cuius supra memini, ordinationem eandem, quum legum mentionem faceret, quarum editionem imperauit, a recessu distinguere g): *daß wir vnserm vnd des Reichs liben getreuen, Iuo Schöffern, burgern zu Meyntz, den Abschiedt ietz gehalten Reichstages zu Regenspurgk, dergleichen die Reformation vnser kayslerlichen Cammergerichts inn eyn vnd dreissigsten iar aufgericht vnd geschehen auch die hals oder peinlich gerichttsordnung in truck zu bringen bewelien lassen haben.* Haud id factum fuisset, si voluisset saltem imperator, vt ordinatio

vna-

e) Abschied des Reichstages zu Regenspurg Anno MDXXXII. gehalten.
f) R. I. de ann. 1532. num. iv.
vom. 11. der neuen vnd vollstaendigen

Sammlung der Reichsabschiede, p. 360.
g) priuil. edit. Carolinae de ann. 1533. praemisso.

vnacum ipso recessu, tamquam pars eius prodiret; neque id aliter cogitari potuisset; quam si exemplo recessus authentico, quod in tabulario Moguntino adseruatur, ordinatio tanquam eius adpendix esset adiecta; illud autem eo minus est probabile, quod, quum noua editio recessuum cum eorum exemplis authenticis, Moguntiae reconditis, conferretur, lectiones quidem variantes recessus; minime autem ordinationis exhiberentur *h*). Tandem adseruatur in nostra bibliotheca publica, Buderiana, nitidum exemplum editionis *recessus Ratisbonensis*, ab Iuone Schoeffer statim post comitia anno c10xxxii. procuratae. Ei haud adiecta est criminalis constitutio; neque suspicari possumus, illam forsan esse auulsam. Si adiecta fuisset, profecto eius mentio facta fuisset in inscriptione, quemadmodum reformationi camerale recessu confirmatae contigit *i*) neque statim verba in fine recessus essent adiecta: *gedruckt zu Meyntz durch Iuonem Schöffler imm iar funfzehnhundert vnd zwey vnd dreyszigsten.*

VTI iam ex his merito concludendum est, haud praeferrí posse editionem, quae sine die et consule prodiit, illi, quam initio anni xxxiiii. in publicam lucem emissam fuisse scimus; ita colligo porro ex lectione artic. cxlii. descendere Boehmerianam illam editionem ab altera ideoque huic iniuriam fieri, si quis, istam aetate antecedere, aestimare veller. Exhibet nostra editio sequentia verba: *mer, so fürgewendt wirdt, der todschlaeger wer dem benöttigen wol süglicher weiß vnd on sehrlicheyt seines leibs, lebens, ehren vnd guten leumts halben entweichen*, et qui paullulum curatius ea ponderat, vitium deprehendet, quo laborat vocula: *dem benöttigen*. Illud quidem perill. Kochivs *ii*) haud concedere vult ac credit, *casum esse datiuum* vocabuli *der benoettiger*, ab auctoribus Carolinae secundum morem ipsorum formatum; sed probabilius mihi est, irrepsisse hoc in effato in locum litterae *r* litteram ei admodum similem, videlicet *n*. Eo maiori iure id statuere me posse credo, quum in ordinatione Brandenburgica aeque ac Bambergensi, ex qua haec verba descripta sunt, legitur *dem benoettiger* et quod maxime

A 3

notan-

- b*) reperiuntur variantes lectiones haec et emendationes in fine tom. iv. der neuen und vollstaendigen Sammlung der Reichsabschiede.
i) integer titulus huius editionis hic est: *Abschied des Reichstags zu Regenspurg Anno M. D. xxxii. gehalten. Reformation des kayserlichen Cammergerichts. durch Römischer*

Kayserlicher Maiestat auch Churfürsten, fürsten vnd gemeynde Reichsstande Commissarien vnd reihe zu Speier imm eyn vnd dreissigsten iar auffgericht. Cum gratia et privilegio imperiali, et constat xvi foliis.
ii) praef. ordinar. criminali praemissa, §. 9. p. 42. 19.

notandum est, imperator, ubi aliis locis verbo hoc vitur, modum declinandi, adhuc usitatum, adhibet, atque vno loco k) dicit: *und so er also den benötigten entleibt*; alio autem: *so er den nöttiger meynt, treff und entleibt hat l)* Quod libris manuscriptis saepenumero contingere scimus, ut si in vno eorum vitium quoddam irrepfit, illud retineatur in reliquis, qui ab eo descendunt l), quoque pluribus editionibus in hoc articulo accidit, ut licet nostra editio vitio quodam laboraret typographico, illud retineretur in aliis. Factum id est non solum idem in editione, quae mense Junio ann. xxxiv. comparuit; sed quoque ea, quae anno xxxv. vulgata est. Primum ab his descebat editio ann. xxxvii. quum is, qui illam curavit, ita locum sanandum esse putaret, ut in locum *dem benoetigen* substitueret *dem benoetigten* atque ita eum exhiberet: *mer so furgewendit wirdt, der todtſchlaeger wer dem benoetigten wol fuglicher weiß und ohnfährlichkeit seines leibes lebens ehren und guten leumunds halben entweichen.* Eandem iam lectionem habet editio, quam BOEHMERVS denuo iuris fecit publici atque mirandum est, quod quoque in plerisque recentioribus editionibus deprehendatur ac neque KRESSIVS; neque BOEHMERVS; neque forsitan alius interpretum perspexit verborum repugnantiam, qua laborat hic articulus, ubi retineamus *der benoettigte*, quum de homicidio ex moderamine inculpatae tutelae est sermo atque adgressio *die Benoettigung*; adgressor *der Benoettiger* atque is, quem quis adgreditur, quiue, ut se defendat, hominem interficit, *der Benoettigte* dicitur, in nostro autem articulo, quemadmodum vulgo exhibetur, opponitur *homicida*, *der todtſchlaeger*, ei, quem quis est adortus. Quilibet itaque percipiet, nullam editionem rectam exhibere lectionem huius loci atque eam esse ita emendam: *der todtſchlaeger wer dem benoettiger — — one ferlichkeit seines leibes ertweichen*; ubi vero simul perpendamus, haud profecto lectionem editionis anni xxxiii. non minus vitiosam retentam esse in iis, quae ann. xxxiv. et xxxv. comparuerunt, si iam BOEHMERIANA existeret ista aetate et vocabulum *dem benoetigen* facilius; quam vocabulum *der benoettiger* sese mutasse in *dem benoetigten*: neque vnquam itaque hoc contra verum legis sensum in memoratas irrepfisse editiones; nisi iam in manibus litteratorum fuissent, in quibus deprehenderetur aliud mendum; videlicet *den benoetigen*: ex eo novum capio documentum, eam potius primam esse editionem, quae mense februario anni xxxiii. est vulgata.

k) art. cXL.

l) art. cXLV.

DEPREHENDUNTUR porro lectiones primariae, quibus BOEHMERIANA editio a nostra se distinguit, primum in quarta editione Moguntina m). Quum ex eo conicere licet, istam haud adhuc existisse, ubi nostra adpareret: tandem merito ad confirmandam sententiam meam illos ad articulos prouocare possum, in quibus lectio nostrae editionis alii sine dubio praefenda est. Quum quasdam illarum paullo post nominabo: merito ex iis ad pretium illi statuendum concludo et quoniam plures locorum, qui haud sunt sani; sed medicina critici indigeant, ex ea prius; quam ex altera editione restituendi sunt, quae sine die et consuli adparuit, haud falli puto, ubi quoque ex iis colligam, illam actatam nostrae editionis haud attingere.

HAEC quum ita se habeant: vel minimum verisimillimum est, memoratam editionem Carolinae, ann. xxxiii. vulgatam, primam eamque authenticam esse; hoc vero posito, hospitem cum ac plane peregrinum in arte leges rite interpretandi esse oporteret, qui adfirmare vellet, haud opus esse, ut istam consuleret, ubi in explicanda constitutione versatur criminali; neque usum eius cogitari posse, ac praestantiam. Haud saepius quidem accidere, ut quisquam ad illam confugere debeat, ob raritatem locorum correctorum libens concedo eandemque ob causam non miror, quid sit, quod KRESSIVS, licet criminalem constitutionibus ex vere genuinis interpretatus sit fontibus, haud magni aestimare videatur nostram editionem; sed de illa scribat: *ego non multum inde hausit; nec haurire potui cum fructu*; et ad hanc confessionem KRESSII prouocet BOEHMERVS, quum rationem reddere vult, cur editionem hanc haud consulerit; verumtamen iure editioni praestantiam tribuere possumus, si vnicum; vel paucos tantum locos ex illa illustrare et a mendis, quae continent, liberare possumus.

NEQUE insiciandum est, plura errata in eadem editione inueniri, siue sint profecto ex typographi; siue eius incuria, qui scripsit exemplum, quo vteretur typographus. Quum pleraque statim ante oculos sunt posita et facillime detegi possunt, quaedam ita comparata sunt, ut effatum obscurum difficilemque eius emendationem reddant. Sine dubio eiusmodi error est commissus in loco illo Carolinae, qui omnium est vexatissimus

m) Est editio ann. c1610xxxvii. Conuenit cum BOEHMERIANA in vo-

cabulo Bemoestigten art. cxi. et vocab. erlichen art. cxxviii.

ac sine dubio crucem figit interpretibus *n*) haecque est quoque ratio, cur nec nostra editio ei lumen, quod desiderat, accendere possit; nihilo tamen minus restant loca, quae solum apte conuenienterque restitui possunt nostra ex editione.

ETSI lectio articuli supra recitati *CXLII*. non recte sese habeat; ita tamen est comparata, ut viam nobis monstrat, multo maius mendum, quo aliae editiones laborant, deprehendendi ac genuinum vocabulum *dem Benoe-thiger* restituendi. Iungo ei alium, qui in primis locupletissimus est testis praestantiae nostrae editionis: nimirum eum, qui de conatu loquitur *o*), ant. *CLXXVIII*. Requirit secundum lectionem communem eamque, quam quoque *BOEHMERI* vetus editio tuetur, *ehrlche scheinende Wercke* contra naturam conatus, in quo quidem actiones externae ad perpetrandum delictum suscipiendae hocque nomine illicitae; minime autem illae sunt necessariae, quae honestae esse videntur hancque ob rem haud fere credendum, quantum illa torqueat interpretes; ubi autem ad nostram confugiamus atque ibi ita formatum inueniamus hoc caput: *item, so sich iemandt eyner missthat mit etlichen scheinenden wercken, die zu volbringung der missthat dienstlich seyn mogen, vndersteht*: nulla opus est emendatione plana que sunt omnia, quae ibi traduntur. Tandem addere licet art. *CXXXV*. Quum plures recentiorum jurisconsultorum legunt *teib oder gut p*): loco particulae copulativae in authentica *und* ac per id feliciter lux accenditur effato, in cuius explicatione interpretes magnas in difficultates incurere sibi sunt visi *q*).

SED satis disputatum arbitror de authentica editione sanctionis Carolinae: iam officio meo fungor ac confictum illam literarium sollemnem nuncio, quo

PRAENOBILISSIMVS AC DOCTISSIMVS IVRIVM
CANDIDATVS

IO. IVST. SCHERBIVS

singularem, quam in iure sibi adquisiuit, sciantiam, publice maxima cum laude

n) art. *CXXVII*. verb. *Idem an etlichen Orien.*

o) *BOEHMERVS*, meditat. in const. criminal. Carolinae, art. *CLXXVIII*. §. 4.

p) *MATTM. STEPHANI* constitut. Ca-

rol. *V. publicar. iud. art. CXXXV*. v. 165. *IO. PAVLL. KRESSIVS*, comm. in const. criminal. Carolinae, art. *CXXXV*. p. 277.

q) *KOCHIVS*, loc. laud.

laude monstrabit ac simul ad nanciscendos summos honores habilem se reddet, qui ipsi sunt decreti ab illustri iurisconsultorum ordine. Quoniam illud ita peragi solet, ut ante omnia indicetur, qua ratione candidatus tempus in colendis litterarum studiis contriuerit: de more hoc, a maioribus ad nos translato, haud despecto et verba eius, quibus nobis id exposuit, recito:

EGO IOANNES IVSTVS SCHERBIVS Francofurti propter Moenum die XVII. Septembris Anno MDCCCLXII. natus sum. Parente IOANNE IACOBO GOTTL. SCHERBIO, Gymnasi, quod in ista amplissima ciuitate maximis floret virtutibus, Praefectore, viro ut praestantissima ingenuarum artium scientia expolito, ita de regendis iuuenum traditorum ingeniis optime merente, quemque dilectissimum omni pietatis cultu ad cineres vsque colam, adhuc, quae est diuina gratia, vtor. Mater mea ANNA CATHARINA ELISABETHA COLLENBERG, vnica filia ex laudatissima Col- lenbergiana gente, quae in scholam Teutonicam atque Arithmetihicam adornandam Francofurti iustissima cum laude exstitit. Cui matura morte, quum vix lucis, trium annorum, vsura mihi esset data, amissae, IO. BACHMANNI spectabilis ciuici Centurionis, collegaeque e praestantissimo vnus et quinquaginta virorum collegio filia CATHARINA ELISABETHA BACHMANN postea successit. Fidum eius et pueritiae, et reliquae vitae meae subsidium ita sum expertus, ut fide atque animo in me singulari, ne a vera quidem mea matre eam superatam fuisse crediderim, quamque optimam etiam semper ut veram meam matrem venerabor.

Qui quidem parentes carissimi, quos supremum numen vsque ad seriffimos annos sospitesque seruare velit, quorumue beneficiorum memoriam gratissimo semper animo sum reculturus, nihil reliqui fecerunt, quod eo spectaret, ut animum meum ab omni lubricarum ineptiarum pertinacia, quantum in ipsis situm fuit, ad salutarem vitae cursum, atque ardentem summi numinis culturam, quae haud fictae sapientiae est origo, disciplina salubriter temperata traduxerint. Me

B

itaque

itaque cum cura et diligentia domi ad moderatam sapientemque inter alios vivendi rationem capeffendam formato: primum vt ea litterarum elementa rite addiscerem, quibus puerilis aetas informari, et ad elegantiorum litterarum studia praeparari solet, per aliquod temporis spatium partim scholam Teutonicam frequentavi, partim domestica fruebar institutione. Disciplinis, quarum ope ad altiora doctrinarum subfella expeditior redderet, vt maturius imbuerer, Gymnasium patrium die xxv. Nov. ann. c1810cclxviii. ex quo vti ex equo Troiano amplissimi politissimique viri nunc longe lateque ad maxima ministeria admoti prodierunt, salutare coepi.

Qua quidem clarissima illa honorum mentium officina praeceptores non eximia modo linguarum, nec non reliquarum scientiarum in Gymnasio vfitate tractandarum, minimeque vulgari rerum noticia praeditos habui; sed etiam singularibus planeque mirificis sapientiae humanitatisque dotibus exornatos, sum admiratus. Inter hos meos praeceptores imprimis, qui, aliis mortuis, adhuc summa cum honestate vivunt, quosque non sine gratissimo maximae pietatis sensu nomino, referendos esse puto: praeclarissimos ac doctissimos IO. GEORG. PYRMANNVM Rectorem, M. IAC. TH. FR. RAMBACH Conrectorem, parentem meum Prorectorem, BENED. SCHILLERVM et I. CASP. ZINCKIVM, omnis doctrinae atque eruditionis genere ornatissimos. Atque ita toto Gymnasio cursu omni ordine, nec vlla hultus illustris loci curia praetermissa, confecto, praefidiisque ad maiora Academicarum praelectionum subfella collectis d. xxx. Apr. c1810cclxxxi. Ienam domicilium musarum florentissimum, petii in vtrorumque iurium studia incubiturus. In quo a Magnifico atque excellentissimo a SCHELLWITZ gubernacula Academiae magna cum laude tenente in studiosae cohortis Ienensis numerum adferiprus, sequentibus praelectionibus mihi adesse contigit. Logices, Metaphysices et Iuris naturae ac gentium doctore illustr. VLRICHIO sum vsus. Excellentissimus REICHARDT Institutiones iuris ciuilibi vna cum Pandectis me docuit, quas posteriores beatus HELLFELD iam antea mihi exposuerat. Iuris canonici, criminalis atque feudalis principia ab excellentissimo EICHMANNO percepi. Perillustri WALCHIVS, praefes ac patro-

patronus meus ad vras vsque colendus, se fidelem in iuris historiae, iuris germanici et cambialis, atque artis ex actis referendi studio, adiutorem praebuit: haud etiam cum paruo emolumento eiusdem disputantium numero sui adscriptus. Illustris SCHMIDTVS mihi ad doctrinam de actionibus et exceptionibus viam monstravit. Ill. a SCHELLWIZ autem ius publicum, processumque tam imperii, quam civilem mihi tradidit. Viri illustres atque excellentissimi, MÜLLERVS S. R. Imperii historiam, antiquitates germanicas, et rei nummariae scientiam, WIEDEBERG mathesein puram, et Cosmologiam, SVCCOW, physicam experimentalem, GRVNER, h. t. prorektor magnificus atque meritissimus vero medicinam forensensem me docuerunt. Nec non examini in pandectas interfui. Postremo in excolendis linguis gallica atque italica quorundam fundamenta iam in patria ieci, IAC. BOULET, et IOSEPH. DI VALENTI lectoribus Academiae publicis eximiiis praeceptoribus vsus sum. Neque minus delineandi artem a beato SCHENKIO tum artis delineatoriae magistro academico percepi. Quorum equidem virtutibus atque industriae quibus amicis praeceptis animum meum formarunt, vt gratissimum animum exhibeo; ita dum viuo eorum memoriam me retenturum esse spondeo. Triennio ita et quod excurrit Ienae peracto, in patriam abhinc redii, ibi per breue temporis spatium commoratus, Wetzlarium in totensi opera tempus consumaturus me contuli, perill. ibi Viri a BOSTELL cuius summa diligentia ac virtus praeclarissime eluxit, praefectionibus in processum cameralem, curiaeque stylum, eruditissimis, sedulo interfui. Quo e celeberrimo loco vt et e peregrinatione partim in diuersas academias nimirum Lipsiam, Halam Saxoniae, Gieslam, Marburgum, et Heidelbergam, partim in alios Germaniae, et quidem praesertim Palatinatus locos visu dignos, iucundissimum mihi laetor fuisse emolumentum quod ex hac occasione, quae mihi e virorum doctissimorum congressibus, atque colloquiis fructandi, nascebatur. Denique ante aliquot menses Ienam repetii atque illustrem iurisconsultorum ordinem decenter rogavi, vt si summis vtriusque iuris honoribus dignum me haberet, mihi illos impertiret.

Ita

Ita quum litterarum studiis incensus fuerit candidatus noster, domestico exemplo excitatus: non potuit fieri; quin viriusque illius examinis exitus ipsi esset exoptatissimus: doctoris dignitate dignus ab illustri ordine iudicaretur, eique facultas concederetur, ad illam consequendam in arenam descendendi suamque dissertationem inauguralem de *verisimilitudine criminis* meis sub auspiciis defendendi; ego vero MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLUSTRISSIMVM S. R. I. COMITEM, VENERANDOS AC NOBILISSIMOS COMMILITONES maiorem in modum meo meique ordinis nomine oro ac rogo, vt confilidum hunc litterarium, quem modo laudatus CANDIDATVS crastino die instituet, honorifica sua praesentia benigne con-honestare velint. P. P. in academia Ienensi, d. xxvii. Sept. ann. post reparatam salutem c10cclxxxv.



VD18


ULB Halle 3
004 582 101



Sb. f







19

PROGRAMMA

DE

STITUTIONIS
LIS CAROLINAE

NE AVTHENTICA

QVO

SSIMI AC DOCTISSIMI

T. SCHERBII

O - FRANCOFVRTENSIS

IONEM INAVGVRALEM

DE

ITVDINE CRIMINIS

. SEPT. MDCCCXXXV.

IT VENDAM

INDICIT

DER. WALCHIVS, D.

TORVM SENIOR AC H. T. DECANVS,

E N A E,

S STRAVSSIANIS.

